



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

6. Secunda pras nostræ impugnationis probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quest. II. Vtrum essentia disting. &c. 23

inter materiam primam, & formam substantialem formalitatem vnionis distinctam ab eisdem, dicunt enim, ea esse vnita solum dicere humanitatem prout in Verbo, quod nullam dicit entitatem distinctam ab vtroque: ergo secundum hos nihil producit in Christo, siquidem neque producit humanitas neque Verbum diuinum; ac proinde neque vnio hypostatica potest produci, quia est idem quod humanitas improducta, & quod Verbum diuinum improductum; sed non potest negari, quod producat aliquid: ergo producit ipsa humanitas secundum actualitatem essentiae: ergo actualitas essentiae est actualitas existentiae.

SVBSECTIO. VI.

Secunda pars nostra impugnacionis probatur.

118 **P**rimo ex D. Thoma qui ait 3. p. q. 4. art. 2. ubi inquit, illud, quod assumitur, debere præintelligi assumptioni; sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui: ergo humanitas Christi, quæ assumitur, præsupponitur assumptioni, ac proinde actio, per quam producit humanitas præsupposita, debet præsupponi Incarnationi, quæ est actio, per quam assumitur & per quam producit vnio hypostatica; sed quidquid præsupponitur alteri realiter, distinguitur ab illo, cui præsupponitur: ergo actio productiua humanitatis distinguitur ab Incarnatione: ergo non sunt vna, & indiuisibilis actio. Confirmat amplius D. Thomas hoc *ibidem* q. 6. art. 3. ubi ait, animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis esse creatam, quo alia anima rationales, & ita etiam indicat, quamuis eodem instanti fuerit creata & assumpta, prius tamen natura, & diuersa actione fuisse creatam, & eadem *quest.* art. 4. ad 3. dicit, carnem prius naturæ vniri animæ, quam Verbo, vnione personali; vnde sentit conceptionem humanitatis esse priorem, & distinctam actionem ab vnione & vnitione humanitatis ad Verbum, quod in illa questione sæpius repetit; idem sentit in 3. dist. 5. q. 3. art. 1. ad 2. ergo in sententia D. Thomæ non potest dici per vnā & indiuisibilem actionem produci humanitatem, & vnionem ad Verbum.

119 **R**atione sic demonstratur; quia actio naturalis & supernaturalis distinguuntur realiter; sed creatio & productio animæ rationalis Christi, & humanitatis est actio naturalis eiusdem ordinis, & rationis cum creatione alterius animæ & cum productione alterius humanitatis, & vnitione, Incarnatio, seu productio vnionis hypostaticæ est actio quoad substantiam supernaturalis, quia terminus productus per illum est vnio supernaturalis quoad substantiam; ideo enim productio gratiæ habitualis, & productio charitatis, luminis gloriæ & visionis Beatificæ est supernaturalis intrinsecè quoad substantiam, quia terminus productus per illam est supernaturalis intrinsecè; si igitur vnio hypostatica quæ producit per incarnationem est supernaturalis intrinsecè, ipsa similiter Incarnatio erit intrinsecè supernaturalis; ergo illæ actiones distinguuntur realiter.

120 **S**ecundo, quia creatio animæ assumptæ est productio ex nihilo; incarnatio vero, vel vnio humanitatis ad Verbum est mutatio, vel actio ex præsupposito subiecto: ergo sunt distinctæ actiones. Vergetur; nam licet verum sit, vnā, & eandem esse actionem, quæ accidens fit & vnitur subiecto, tamen sicut in accidente in facto esse distinguimus entitatem accidentis ab actuali inherencia, ita necessè est, vt in ipsa actione distinguamus illam actionem, vt tendit ad entitatem, vel ad vnionem acci-

dentis; quia actio nihil aliud est, quam fieri vt est ab agente ipsius rei; sed similiter in humanitate, & anima rationali distinguitur entitas illarum à substantia eis debita, & ideo separantur ab illa, & ab vnione hypostatica, quæ de facto datur in illis: ergo fieri earum, & actiones distinguuntur.

121 **T**um etiam, quia ut certum est, non potest intelligi Verbum terminare animam, vt erat ab æterno in potentia; sed vt est aliquid iam factum: ergo alia actio est, per quam anima fit, & alia per quam vnitur, vt terminetur à Verbo; & idem proportionaliter est de tota humanitate. Prima vero, & Secunda consequentia probantur; quia per illam creationem fit aliquid esse in ipsa anima, & non fit esse essentiae, vt condistinguitur ab esse existentiae, quia vt sic non est esse nouum, sed æternum, quia reuera tantum esse in potentia est, seu possibile: est ergo esse existentiae creatum, cum per creationem fiat; quod manet in ipsa anima Verbo vnita; non enim potest perdere per assumptionem illud esse, quod per creationem habuit, alias non possent creatio, & assumptio simul esse in eodem subiecto, & in eodem instanti, quod est falsum: ergo falsum est dicere, per vnā & eandem indiuisibilem actionem produci humanitatem, & ipsam vnionem, per quam vnitur Verbo.

122 **S**ed supponamus hoc esse verum, nihilominus non infringit nostram rationem supra positam, sed potius confirmat tertiam, & vltimam partem nostræ oppugnationis, quia ex eo quod humanitas producat simul cum vnione per vnā actionem non desinit vere produci in se ipsa, id est secundum actualitatem essentiae: ergo actualitas essentiae humanitatis est terminus formalis productionis simul cum vnione: ergo talis actualitas est id, per quod formaliter essentia humanitatis ponitur extra causas, sicut actio, per quam producit talis actualitas est ratio in genere causæ efficientis extrahendi humanitatem extra causas; sed actualitas ponens rem extra causas formaliter est actualitas existentiae: ergo actualitas essentiae est ipsa actualitas existentiae: ergo solutio hæc in secundo sensu explicata non infringit nostram veritatem sed potius confirmat illam.

123 **C**onfirmatur amplius hoc; quia huic actualitati essentiae humanitatis, & cuiuscunque essentiae conueniunt sine dubio omnia prædicata, & conditiones, quæ attribuantur existentiae, imo illa omnia, propter quæ aduersarii omnes existimant, existentiam distingui ab essentia à parte rei: ergo talis actualitas essentiae est vera existentia. Antecedens sic probatur. Primo enim hæc actualitas essentiae non est æterna, sed temporalis, nam vt demonstratum manet *disp. de possibilitate, & supra in hac questione*; creaturæ ab æterno nullum esse actuale positum habuerunt; sed esse actuale essentiae est quid positum actuale à parte rei: ergo tale esse actuale essentiae est temporale, & non æternum; nam licet essentia dicatur ab æterno, & propositiones essentialis dicantur æternæ veritatis; & verificentur similiter ab æterno; nihilominus nec essentia dicitur ab æterno ratione alicuius actualis entitatis positæ, nec propter aliquam formalitatem positam actualem habent suam veritatem tales propositiones, cum vere ab æterno talis essentia nullam huiusmodi actualitatem habeat secundum nostram fidem catholicam, vt *ibidem* declarauimus, sed solum ratione possibilitatis propriæ essentiae, quæ perit vt animal, quando producit, coniungatur cum rationali si producendus est homo, & sic de reliquis dicitur vera hæc propositio, homo est animal rationale, quod per hanc propositionem conditionalem explicat. Patet. Suarez.

si homo producendus est, necessario producendus est animal rationale, neque adhuc diuinitus potest aliter produci; sicut equus, si producendus est, necessario est producendus, ut animal inhibibile, & Angelus necessario si creetur, creandus est substantia spiritualis completa intellectualis, quia hoc petit possibilitas aeterna illorum. Itaque ratione possibilitatis, quae ab aeterno datur, verificantur propositiones aeternae veritatis, & non ratione alicuius actualitatis positiuae, quae ab aeterno sit: ergo actualitas illa positiua essentiae conuenit esse temporalem, & non aeternam, quae est prima conditio existentiae.

124 Secundo, huic esse actuali essentiae, siue huic actualitati conuenit contingentem esse, ac proinde ipsa actualitas conuenit essentiae contingentem omnino, & minime necessario, quandoquidem prius quam fieret, ac produceretur creatura à Deo, illud esse actuale essentiae non habebat, ipsumque habuit media libera ac spontanea voluntate Dei, imo postquam essentia habuit hanc actualitatem suam, potest illa priuari, si Deo libuerit, quae sunt omnes conditiones existentiae: ergo actualitati essentiae conueniunt duae proprietates praecipuae existentiae. Tertia proprietates est ut res ratione existentiae possit actu recipere aliquid terminari actu ab aliquo actu operari aliquid in tempore quod ab aeterno non poterat, sed humanitas Christi ratione actualitatis essentiae potest nunc terminari actu à Verbo diuino, & de facto terminata fuit per vnionem hypostaticam, quae humanitas ab aeterno non poterat posita in statu possibilitatis terminari à Verbo, alias Verbum diuinum nunc posset hypostatice vniri creaturis possibilibus quae nunquam producendae sunt à Deo quod est falsissimum; nam res in statu purae possibilitatis, nullo modo potest actu suppositati suppositatitate aliena, sicut neque potest res possibilis in statu purae possibilitatis, habere propriam subsistentiam: ergo si humanitas Christi ratione propriae actualitatis essentiae suppositatur, signum euidentius est talem actualitatem esse actualitatem existentiae. Item ratione talis actualitatis, humanitas Christi actu operatur cognitiones & volitiones proprias, quae sunt verae operationes, & recipit ipsas in anima sicut in se ipsam recipit vnionem hypostaticam: ergo humanitas Christi recipit & operatur actu ratione actualitatis essentiae: ergo actualitas essentiae est vera & propria existentia; tandem quia ipsa existentia est actualitas ipsius essentiae, & non alterius rei distinctae ab essentia, per existentiam enim ut *quaestione superiori* vidimus, essentia constituitur actualis, & ens actu, cum ex se essentia creaturae non sit actualis, sicut essentia Dei: ergo sola existentia datur, quae possit esse actualis, sicut essentia Dei, & non debet dari duplex actualitas distincta, una quae sit existentia, alia quae dicatur actualitas essentiae; siquidem omne quod potest fieri per actualitatem essentiae, necessario fit per existentiam, frustra enim sunt per plura quae possunt fieri per pauciora, nec sunt multiplicandae entitates sine urgente necessitate, sed existentia ipsa est actualitas simpliciter essentiae: ergo non est multiplicanda alia actualitas essentiae, distincta ab existentia, quapropter destructa quacumque alia re praeter existentiam, manet essentia in esse actualis simpliciter constituta, quod ut probetur efficaciter.

Sumo naturam humanam Christi Domini, quae 125 est prior prioritate naturae vnione hypostatica, sed pro illo priori pro quo concipitur sola entitas naturae humanae natura humana est ens actuale extra nihil & non in potentia: ergo pro illo priori ita habet actualitatem ut simul habeat existentiam, ita ut

eadem formalitas actualitatis sit existentia & actualitas essentiae. Maior est certa, quia sicut essentia prioritate naturae antecedit suppositatitatem propriam, ita prioritate naturae antecedit vnionem ad suppositatitatem alienam, & ratio est quia vnio hypostatica educitur & fit dependenter ab ipsa humanitate: ergo humanitas illa est causa materialis talis vnionis: ergo est prior natura, quia omnis causa est prior natura suo effectui.

Probat minor pro illo priori, natura humana 126 est producta in tempore, & non solum habet esse quod habuit ab aeterno, nec est intra nihil, aut intra potentiam, nec mere in statu possibilitatis, quia in illo instanti reali est existens, & implicat quod eadem res in eodem stanti reali sit in statu possibilitatis & existentiae: ergo pro illo priori natura humana Christi Domini est aliquid reale actuale de nouo productum à Deo: ergo non est actualis extra nihil, & extra possibilitatem ratione Verbi diuini; patet vltima consequentia, quia omne quod pro aliquo priori pro quo praecedit aliquam formam vel quasi formam non potest habere illud esse cum quo praesupponitur ab ipsa forma ad quam praesupponitur, sed natura humana Christi Domini praesupponitur actualis extra nihil & extra possibilitatem ad ipsum Verbum & ad existentiam ipsius, seu actualitatem eiusdem Verbi diuini terminantis & assumentis illam: ergo non potest habere actualitatem & existentiam ab ipso Verbo diuino terminante & assumente illam. Maior meo videri est euidentius lumine naturae, ideo enim paries quatenus praesupponitur ad albedinem, non potest habere esse ab illa, quia esse quod habet effectus à causa non praesupponitur causam, & e contra album non potest praecedere albedinem, quia album habet esse ab illa; item natura humana Christi Domini non praesupponitur subsistens pro illo priori assumptionis, quia subsistens est per subsistentiam Verbi diuini terminantis naturam humanam, & ideo euidentius colligimus quod natura humana, non constituitur in esse entis à persona Verbi diuini, neque habet esse substantiae ab illa ut terminante ipsam naturam, quia pro illo priori terminationis natura humana est ens & substantia; ratio autem illius est euidentius, quia nihil potest esse prius sua essentia, sed omnis forma vel quasi forma est essentia constituta vel concreti: ergo constitutum vel concretum non potest esse prius forma constituyente ipsum.

Dices quod neque humanitas, neque alia essentia 127 pro illo priori pro quo antecedit existentiam, est entitas actualis, sed tantum entitas realis physica, & quod per existentiam fit entitas actualis physica, & ratio est, quia possibilitas dicit duplicem negationem vniam essentiae & alteram existentiae, atque adeo per productionem essentiae formaliter destruitur negatio essentiae; non autem existentiae, & per consequens essentia non est entitas actualis, neque intra causas, neque extra illas.

Sed haec solutio plura habet difficultates, & nescio 128 an cohaereant cum dictis Authoris illam praebentis, quia ipse asserit quod possibile dicit negationem puram existentiae contra Patrem Herize, & ideo asserit negationem illam necessario debere esse in aliquo subiecto, quod subiectum non potest esse nisi essentia rei: ergo possibile non dicit negationem essentiae rei. Patet consequentia, quia vel illa negatio essentiae esset priuatio & sic necessario deberet supponere aliquod positium, de quo vltius quaerimus, utrum illud sit essentia vel existentia, quia non est excogitabile aliud, quod possit esse illud positium, sed non posset esse illud positium existentia: ergo essentia: ergo possibile solum dicit negationem existen-

existentiæ. Tunc sic : quando producitur res, verbi gratia natura humana Christi Domini, & pro quo antecedit vnionem hypostaticam; vel præcedit illam prioritate naturæ producitur existentia, quæ opponitur illi negationi, vel illa negatio essentia non est priuatio, & sic habemus intentum, scilicet quod non supponat subiectum, & per consequens quod omne illud quod dicit possibile est negatio, & nullo modo dicit aliquid positium quod negat aduersarij qui præbent hanc solutionem.

129 Sed impugnatur solutio secundum omnes suas partes, & imprimis impugnatur illud quod asserit, scilicet quod entitas illa non est actualis formaliter quod ita impugno: illud est actuale formaliter quod distinguitur ab aliqua potentia vt tali: sed illa essentia pro vt terminat actionem productiuam distinguitur ab aliqua potentia vt tali: ergo illa essentia in quantum terminat actionem productiuam est entitas actualis. Maior meo videri est euidens, vt late supra probauimus; minor etiam est euidens, quia essentia quatenus terminat actionem creatiuam actualem; non est in potentia logica & obiectiua: ergo essentia quatenus terminat actionem creatiuam actualem distinguitur ab aliqua potentia vt tali. Antecedens est euidens, quia essentia in potentia est ens secundum quod actualiter improducta & comparatione existentia est nihil, & negatio & est potentia remota illius vt loquitur Auctor huius solutionis; sed essentia quatenus terminat actualem productionem est ens simpliciter, & nullo modo negatio est actualiter producta dependens & contingens: ergo distinguitur ab essentia in potentia: ergo est actualis entitas.

130 Confirmatur primo, omne illud quod est exercitium alicuius potentia in quantum talis, est actus: sed essentia actualiter producta est exercitium alicuius potentia: ergo est actus. Maior est euidens, ideo enim visio est actus, quia est exercitium potentia visus. Probatur minor, essentia actualiter producta est exercitium omnipotentia diuinæ, sed omnipotentia diuina est potentia: ergo essentia actualiter producta est exercitium alicuius potentia: ergo est actus.

131 Confirmatur secundo, omne illud quod correspondet alicui possibilitati est actus; sed essentia actualiter producta correspondet possibilitati essentia: ergo est actus. Maior meo videri est euidens, quia possibilitas vt talis præcipue in sententia contraria est potentia, & quicquid correspondet alicui potentia vt tali est actus: ergo omne illud quod correspondet alicui possibilitati est actus. Probatur minor præcipue, non solum existentia est possibilis antequam producat, sed etiam essentia, sed omni possibilitati correspondet aliqua actualitas: ergo possibilitati essentia correspondet actualitas essentia, sed tunc correspondet quando datur essentia actualiter producta: ergo essentia actualiter producta correspondet suæ possibilitati: ergo est actualis.

132 Confirmatur tertio, vel essentia actualiter producta habet connexionem prædicatorum essentialium solum possibiliter mere, vel etiam actualiter, sed non mere possibiliter, quia illud quod est mere possibile non est actualiter productum, aliis Deus ab æterno produxisset res possibles, quod est absurdum in nostra fide: ergo habet connexionem actualem prædicatorum essentialium: ergo est entitas actualis. Ex quo manifeste impugnatur altera pars eiusdem solutionis, quia illa essentia actualiter producta ex vi illius actionis, non est in potentia causæ: ergo est extra causas. Patet consequentia, illud est extra causas quod non est intra illas, & in potentia causæ: sed illa essentia ex vi illius actionis non est in potentia causæ: ergo est extra causas. Maior meo videri est euidens: ideo enim nunc essentia Antichristi est in potentia causæ, quia non est extra causas ex vi alicuius

actionis; ergo à contrario sensu omne illud quod non est in potentia causæ est extra causas, præcipue quia vi illius actionis, quæ terminatur ad essentia in quantum secundum aduersarios præsupponitur ad existentiam prioritate naturæ, producitur aliquid à causa: sed produci aliquid à causa est illud causam extra se constitutere, quia iam virtus causæ exiit in actionem, quia tunc non est causa in mero actu primo: ergo ex vi illius actionis essentia illa est extra causas: ergo est existens quatenus formaliter terminat illam actionem per quam producitur à causa. Patet consequentia, illud est existens formaliter, (& loquor de ente creato,) quod est extra causas formaliter, sed ex vi illius actionis per quam producitur actualiter essentia illa est extra causas formaliter: ergo essentia illa ex vi illius actionis per quam producitur actualiter est existens formaliter.

Vltimo sic vrgo aduersarij, & impugno totam hanc solutionem, quia ideo essentia actualiter producta non est entitas actualis per vos, quia est potentia respectu existentia: sed hæc ratio non obstat: ergo essentia actualiter producta est entitas actualis. Probatur minor, licet aliquid sit potentia respectu alicuius actus potest esse actus si correspondeat alteri potentia, sed essentia actualiter producta correspondet alicui potentia: ergo est actus. Maior meo videri est euidens, quia licet animus rationalis sit potentia respectu subsistentia & respectu suarum potentialium, nihilominus quia responderet alicui potentia scilicet materia primæ & possibilitati, quæ est potentia obiectiua est actus. Probatur minor, essentia realiter actualiter producta correspondet potentia obiectiua, & distinguitur ab illa, quia non est in potentia mera, neque est potentia mere obiectiua & possibilis: ergo essentia actualiter producta correspondet alicui potentia & distinguitur ab illa: ergo est actus.

Respondent aliqui Thomistæ hunc effectum scilicet rem constituere extra causas esse effectum formalem formæ, & requirere existentiam vt terminum & vt conditionem, ita Cabrera 1. tom. in 3. part. q. 2. art. 2. disp. 35. m. 48. quam sequuntur plures Moderni in manuscriptis.

Sed contra, quia habere formam est tantum proprium rerum materialium substantialium; sed esse extra causas est proprium omnis rei existentis: ergo hoc quod est esse extra causas non prouenit à forma. Maior est euidens, quia Angelus non habet formam: ergo non omne illud quod est extra causas habet formam.

Et si dicas quod essentia rei est forma, sed contra: ergo res formaliter est extra causas per suam essentiam. Patet consequentia, per vos res formaliter est extra causas per formam, sed per vos essentia rei est forma: ergo res est formaliter extra causas per suam essentiam, quod nos intendimus.

Contra secundo, quia ipsa forma potest esse possibilis vel existens: ergo vel existens se ipsa, vel per aliquid distinctum ab ipsa forma: sed non per aliquid distinctum ab ipsa forma, alias dabitur processus in infinitum: ergo per se ipsam: ergo existentia rei non distinguitur ab ipsa essentia & entitate rei.

Dices essentiam pro illo priori esse extra causas in fieri non vero in facto esse, & existentiam constitutere rem extra causas in facto esse.

Sed contra, essentia distinguitur ab actione per quam producitur, sed actio est fieri rei extra causas: ergo essentia non est fieri extra causas. Maior constat ex dictis in *Physicis*: minor etiam est euidens, quia actio est fieri rei. Consequentia probatur, essentia per vos est extra causas non in fieri: ergo in facto esse. Maior est solutio quam impugnamus: probatur minor, illud est extra causas in fieri, quod est actio: atqui essentia non est actio, sed terminus productus per actionem: ergo essentia non est extra causas in fieri.